

1315 octubre 4. Barcelona

*Jaume II al batlle de Girona o al seu lloctinent. Li mana que obligui als habitants del burg de Sant Pere de Galligants a pagar la part de les despeses de la ciutat que els correspon.*

- A. Original: AHCG, Lletres Reials. 120 × 205 mm. Bon estat de conservació. **1:** Registrata. **Segell comú:** 85 mm aprox. **Lletra oberta.** **2:** *Presentata fuit iovis X kalendas novembris per Raimundum Malarcii, Franciscum de Sancto Felice et Bernardum Sampsonis, iuratos,<sup>1</sup> et lecta Guillelmo de Deo, iudici, et Petro Guillelmi, baiulo in curia Gerunde.*

Iacobus, Dei gratia rex Aragonum, Valencie, Sardinie et Corsice comesque Barchinone ac Sancte Romane Ecclesie vexillarius, ammiratus et capitaneus generalis, ffdeli suo baiulo Gerunde vel eius locumtenenti, presenti et qui pro tempore fuerit, salutem et gratiam.

Pro parte proborum hominum et universitatis civitatis Gerunde fuit conquerendo propositum coram nobis quod aliqui de dicta civitate Gerunde, comorantes in burgo dicte civitatis, vocato burgo Sancti Petri de Gallicantu, contradicunt solvere partem eos contingentem in missionibus per proceres dicte civitatis factis, tam super illis quadraginta mille solidis Barchinone quos nobis dederunt, quam alias ratione privilegii franquitatis per nos concessi dicte civitati et civibus ac habi-tatoribus ipsius et eiusdem suburbiorum pro hiis que habent in burgo predicto. Quare suplicatum fuit nobis ut predictos partem eos contin-gentem solvere contradicentes in missionibus et expensis ratione dicte franquitatis factis compelli facere dignaremur. Ideo, ipsa suplicacione suscepta benigne, vobis dicimus et mandamus quatenus omnes habi-tatores burgi predicti Sancti Petri pro hiis que habent in dicto burgo compellatis fortiter et districte ad solvendum partem eos contingentem in omnibus missionibus supradictis ratione dicti privilegii factis et etiam faciendis iuxta comodum quod de dicto privilegio eosdem inve-neritis reportare.

Data Barchinone, IIII<sup>o</sup> nonas octobris anno Domini millesimo CCC<sup>o</sup> quintodecimo. Examinavit Dalmacius.\*

1. iuratos *interlineat*.